

DISSERTATIO CHEMICA,

D E

ACIDO CARBONICO,

QUAM

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE

MAG. JOH. GADOLIN,

CHEM. PROF. REG. ET ORD., REGG. ACADD. ET SOCIET. SCIENT. HOLMENSIS,  
DUBLINENSIS ET UPSALIENSIS, NEC NON SOCIET. MED. CHIR. ET PHARMAC.  
BRUXELLENSIS, ACAD. IMPER. NAT. CURIOS. ET REG. SOCIET.  
OEGON. FENNIGE MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ CENSURE SUBJICIT

HENRICUS GABR. ALCENIUS,

STIP. REG. OSTROB.

In Auditorio Mathem, die XVI Junii MDCCXCVIII,

horis 2. m. consuetis.



A BOÆ,  
Typis FRENCKELLIANIS.

V I R O  
ADMODUM REVERENDO  
ATQUE  
PRÆCLARISSIMO DOMINO MAGISTRO  
E L I Å A L C E N I O,  
*Pastori Ecclesiæ in Kelviå,*

PARENTI OPTIMO!

*In pignus animi venerabundi atque gratissimi pro pa-  
ternis beneficiis, hanc, Tibi, Parens Optime, Disser-  
tationem devotissima offero mente; quam ut benigne acci-  
pias, supplex oro atque obtestor*

PARENTIS OPTIMI,

*filius obedientissimus*  
HENR. GABR. ALCENIUS.

DE

# ACIDO CARBONICO.

Quamvis non ignoraverint veteros Chemicos, vapores elasticos aërem mentientes interdum ex corporibus solidis aut liquidis produci, cum hæc vel igne tosta, vel secum invicem mixta, vel in data temperatura caloris humiditatisque constituta esent; de explicatione tamen horum phænomenorum eosdem non multum sollicitos fuisse invenimus. Neque ob scientiam pa- rum adhuc cultam, rem accurate fatis investigare potuisse vi- dentur, ut veram cognitionem de origine et natura talium ha- lituum acquirerent. JOANNES BAPTISTA VAN HELMONT Bru- xellis natus, celebris ad finem seculi XVI:ti Chemicus, cum studiosius, quam ante illum alii, ad phænomena fermentatio- num attenderet, observavit aëris quandam speciem ad respira- tionem animalium et ignem sustinendum ineptam sub his ope- rationibus progigni. Cum vero non dubitaret, quin alia fluida elastica, pariter ab aëre atmosphærico diversa, quæ alibi ori- rentur, ad idem genus esent referenda, omnia communis nomine *Gas sylvestris* appellavit, quoniam non approbandum ipsi vide- batur nomen *Spiritus*, quo eadem nuncupaverant anteriores. *Sylvestria* vero vel *incoercibilia* hæc corpora dicebantur, quod in frigore non concrecerent, ut vapores corporum liquidorum, ideoque nec in vasis Chemicorum tractari possent, sed magno interdum cum discrimine et damno, ubi subito nascerentur, o- mnem apparatus dirumperent. Ex aqua in corporibus inhæ- rente derivandos esse tales halitus elasticos, non sine magna probabilitate judicavit STAHLIUS aliquie plurimi, qui rarius ex corporibus siccis, saepissime ex humidis eosdem obtineri anim- adverterunt. Neque tamen certius persuasi fuerunt, utrum ii-

A

dem

Ms. 1778

dem in corporibus ante factam mutationem concreti laterent, an vero sub ipsa operatione, qua prodirent, primum generarentur. ROBERT BOYLE ex multiplici quidem experientia conclusit aërem non raro in corporibus ita concrescere, ut solidam formam acquirat. Idem de suo *spiritu nitro-aëro*, (qui cum nostro *aëre vitali* coincidit) obseruavit JOANNES MAYOW. Nihilo tamen minus post illos adeo adhuc dubia res fuit, ut STEPH. HALES, qui summum laborem et ingenii acumen in his rebus examinandis impenderat, pro verissimilimo haberet, omnia fluida elastica in eo tantum ab aëre vulgari discrepare, quod immixtas habeant peregrinas substantias, quibus elasticitas aëris vel aucta vel diminuta esset; cum nullo experimento de eo certior fieri potuisset, quod aliqua species aëris ab ullo corpore tota quanta ita absorberetur, ut nihil fluidi elastici ex illa supereset (<sup>9</sup>). Magnus quoque HERMAN BOERHAWE de natura halituum elasticorum loquens, dubitatum sibi fuisse fatetur, an omnne illud foret quidens ejusdem ita naturæ, ut eodem nomine aëris elastici appellari deberet? an vero corpora, certa lege resoluta in partes minimas, amissa natura sua prima, forte vera transmutatione, permutentur in aërem hunc elasticum, qui dein rursus concretus alis iterum firma redderet nova corpora? an adeoque præter aërem communem elasticum, aliud illi simile, non idem, in rerum natura obtineret (<sup>10</sup>)?

### §. 2.

Itaque, non obstante experientia illustrium Naturæ Scrutatorum BOYLE et HALES, qui vaporem aëriformem et ex salibus alkalinis lapidibusque calcareis, ignis vel acidorum ope produci, et ab alkalino sale interdum elasticitate sua iterum qua partem saltim privari viderant, obscura tamen adhuc fuit Chemicorum notio de origine hujus aëris speciei, atque de mutatione.

(<sup>9</sup>) Vegetable Staticks, Chap. VI.

(<sup>10</sup>) Elementa Chemicæ, Tom. I, de aëre.

tione corporum ex quibus obtinebatur, antequam Celebris Edinburgenis Chemicus J. BLACK, novis quoque experimentis innixus, statueret, corpus hoc aëreum, licet elasticitate orbatum, de cetero tamen paratum jam latitare in corporibus illis solidis, unde elici possit, eidemque adscribendas esse omnes proprietates, quibus magnesia alba vulgaris atque lapides calcarei, ab iisdem terris igne uscis differant (\*). Hanc vero theoriam mox impugnavit, eandemque et experientia, et demonstracionum evidentia refellere conatus est acutissimus Osnabrugensis JOH. FRID. MEYER, qui cum parvi momenti esse judicaret experimenta Chemicorum Britannicorum, rem de novo examinandam suscepit, suoque tandem labore detectum fuisse autumavit, mitiorem naturam terræ calcareæ vulgaris, huic esse propriam, igneam vero vim, quam sub usione acquirit, quamque cum salibus alkalini etiam communicare valet, venire a peculiari substantia acida ex igne attracta, quam *causticum*, sive *acidum pingue* appellavit (\*\*). Sic inter Chemicos orta pugna litteraria memorabilis eosdem in duas partes per aliquod tempus divisit, ex qua demnm, cum omnia phænomena solcite pensata, et multis experimentis illustrata esent, victores redierunt qui BLACKIUM fecuti sunt. Corpus novum, quod ita feliciter defenderant, datum ab inventore nomen *aëris fixi* servavit, quoniam nondum cognitum erat, alias quoque aëris species pariter cum corporibus concrescere et fixam formam acquirere posse. Observaverunt insuper, hanc aëris speciem non differre ab illa, quæ ex corporibus fermentantibus surgit, eandemque etiam sub forma elastica naturalem quandoque reperiri, præfertim in cavernis subterraneis, ubi infimum locum, propter pondus specificum, pondere aëris duplo superius, occupat; intellexerunt gratum saporem liquorum fermentatione paratorum et titillantem suavitatem aquarum acidularum ex eadem venire. Tandem Illustri inter Nostrat: Chemico TORBERNO BERGMAN

A 2

fuc-

(\* ) N. Versl. u. Beob. v. ein. Gesellsch. zu Edinburg.

(\*\*) Chymische Versuche zur näheren Erkenntniß des ungelöschten Kalchs.

succesit naturam hujus fluidi penitus cognoscere; cum ex serie experimentorum novorum videret omnes notas salis acidi eidem competere. Itaque ipsi nomen *acidi aërei* dedit, tum propter formam aëris, qua semper gaudet, ubi nullis retinetur vinculis, tum quod partem aëris atmosphärici idem numquam non efficeret. Sic per coniunctum laborem multorum Chemicorum, qui in investiganda natura diversarum aëris specierum occupabantur, innotuit acidum aëreum, quinvis elastica forma et pelluciditate cum aëre atmosphärico conveniat, ab hoc tamen æque ac ab aliis fluidis elasticis differre, 1:o quod pondere specifico atmosphäricum aërem bis supereret, 2:o quod respirationi adeo ineptum sit, ut animalia pulmonibus prædicta in ipso inclusa necet, quapropter etiam nomine *Gas Mephiticus* a Celeb. MACQUEVER aliisque appellatum fuit. 3:o quod igni allendo non inferviat, flamمام vero corporum ardentium protinus extinguat. 4:o quod facile conjungi posit cum aqua frigida, quæ plus quam æquale ejus volumen absorbere valet, et gratum saporem acidulum ex eo acquirit: *aquam aëratam* dixerunt. A calida vero aqua idem non fascipiatur, cum potius omne acidum aëreum per ebullitionis calorem ex aqua aërata fugari possit. 5:o quod et sapore et omnibus proprietatis acidam prodat indolem, salia alkalina terrasque in salia neutra vel media convertendo, corpora ab illis soluta præcipitando, et cetera. 6:o quod adeo antisepticum sit, ut non modo corruptionem corporum futuram arcere, sed præsentem etiam putredinem cohibere et corrigerem valeat.

### §. 3.

Quod ad compositionem hujus acidi attinet, fundamentum quo cognitio ejus hodierna innititur jecerat ingeniosissimus C. W. SHEELE, qui suis experimentis extra omne dubium posuit acidum aëreum ex carbonibus sub ustione ita produci, ut tota carbonum pars inflammabilis in illud transmutari videatur. Itaque cum illo tempore corpora omnia inflammabilia ex duobus

bus principiis composita esse putarentur, altero, principio inflammabili sive *Phlogisto STAHLI*, altero, parte non inflammabili, quæ per unctionem a suis vinculis liberata, sub genuina forma compareret, carbones quoque compositos esse censuerunt Chemici, ex phlogisto et acido aëreo, eosdemque nomine *sulphuris* appellaverunt, quo generatim falia acida per phlogiston dulcifacta distinguere voluerunt, propter similitudinem cum sulphure minerali, quod ex acido vitriolico et phlogisto constitui credebatur.

Ex iisdem phænomenis, per novam theoriam explicatis concludunt Chemici hodierni, in carbonibus non ipsum acidum aëreum, sed radicem solummodo vel basin ejus contineri, quam, ut ab impuris, quales vulgares sunt, carbonibus distinguant, *carbonium* nominaverunt. Ipsum vero acidum, cum ex carbonio et oxygenio, sive basi aëris vitalis, sub combustione carbonum conjunctis nascatur, jam *acidum carbonicum* vocant, quo natura ejus ex ipsa denominatione melius significetur. Hoc quidem acidum generari observaverunt, non solum ubi in aëre vulgari aut vitali comburuntur carbones, sed etiam ubicunque carbonium ex societate aliorum corporum sibi arripere valet oxygenium. Sic produci observatum est acidum carbonicum ex vaporibus aquosis, qui ad carbones candentes conducti fuerunt. Similiter ex carbonibus cum nitro mixtis, per detonationem obtinetur acidum carbonicum, destructo acido nitrico, quod suum oxygenium carbonibus tradit. Pariter sulphuricum acidum in partes suas constitutivas, per carbones resolvitur: liberato namque, vi ignis, sulphure, prodit acidum carbonicum ex carbonio cum oxygenio acidi sulphurici consociato. Notissimum quoque est, metallica oxida producendo acido carbonico inservire, cum eadem, juvante ignis gradu sufficiente, per carbones ad formam metallicam reducantur.

Ex his phænomenis per accuratissima experimenta investigatis, et maxime quidem per exactissimas observationes illustris inter hujus ævi Chemicos LAVOISIER detectum fuit 100 partes

acidi carbonici ex 28 partibus carbonii et 27 partibus oxygenni constitui. Itaque et illi et plurimis aliis per syntheses Chemicam sufficienter demonstrata esse videbatur compositio hujus acidi.

#### §. 4.

Quia vero, secundum omnium consensum, tum demum pro certa et indubitata habenda est cognitio de corporis cuiusdam compositione, cum hanc et analysis et synthesis confirmant, desideratum adhuc a Chemicis fuit, ut etiam partes constitutivas ex acido carbonico separarent; atque cum propter intimam hanc partium connexionem, non facile succedere videretur haec disjunctio, nonnulli propter deficientem analysis erroneas fuisse conclusiones syntheticas judicaverunt; & veram propterea naturam acidi carboni nondum fuisse detectam. Neque tamen prorsus in fructuosos fuisse conatus eorum, qui via analytica partes hujus acidi ante oculos sistere voluerunt, ex duobus potissimum experimentis inferre licet. Alterum ab inclito Chemico Londinensi TENNANT primum factum est cum carbonate calcis vel alkali fixi, qui phosphoro admixtus in certo caloris gradu nigrum acquisivit colorem a separato carbonio derivandum, quo ipso phosphas calcis vel alkalimum prodierat observabatur. Hinc evidenter patere visum est, oxygenium ex acido carbonico per phosphorum erectum fuisse, atque carbonium nudum relictum. Alterum experimentum nos cum solutione carbonatis ferri ita instituimus, ut solutionem ferri in aqua aërata limpidam, super ignem ebullire faceremus, quo latto ferrum e solutione separatum et in pulverem atrum ex oxido ferri et carbonio compositum conversum fuisse observavimus: et intelleximus ferrum solutum, cum parum tantum oxidatum esset, majorem oxygenii quantitatem ex acido carbonico sumfuisse, et carbonium ex pristina societate depulisse. Cum vero ex his phænomenis nondum accuratius determinari potuerit, quantum carbonii et oxygenii ex data quantitate acidi carbonici obtineri queat, fateamur oportet hujus analysis nondum esse perfectam, atque ejus circumstantias solicita cura adhuc

adhuc proprius esse examinandas. Neque experimentis hucusque factis certius constat, utrum acidum carbonicum per corpora vegetantia ita decomponatur, ut carbonium, quod in omnibus vegetabilibus exiniā partem efficit, ipsis tradat. Celebris quidem SENNEBIER aliique, qui varia experimenta instituerunt cum frondibus vegetabilium in aqua aërata inclusis, statuere voluerunt, quod aër vitalis, qui ex foliis vegetabilium radiis solaribus expositis vaporat, ex carbonum acido destructo veniat; ex quo aperte etiam pateret, eidem acido illa debere suum carbonium; alii vero, experientiam itidem adducentes, contra illos putaverunt omne carbonium, ex quo alimentum habent vegetabilia, nonnisi immediate per solutionem aquosam carbonii nudati in succos eorum transire; et aërem vitalem, quem exhalant folia vegetantium, omnem ex decomposita aqua derivandum esse. Itaque haec quoque phænomena ulterius omni diligentia examinanda sunt, antequam certius concludi possit, utrum sub vegetatione disjungantur partes acidi carbonici elementares, nec ne.

### §. 5.

Neque facilis indaginis est invenire veram rationem attractionis mutuae inter partes acidum carbonicum constituentes; cum haec attractio mutua partium interdum major esse, quam inter alterutram et corpora quæcunque alia, interdum vero alijs omnibus inferior esse videatur. Majorem quidem attractionis gradum habere cernitur oxygenium ad carbonium, quam ad alia quæcunque corpora, si consideramus, nondum ulla alia corpora, saltem non per simplices attractiones aut oxygenium aut carbonium, quantum hucusque constat, ex acido carbonico eripere potuisse, cum potius carbonium, in elevatiore caloris temperatura positum facile avellat oxygenium ex omnibus alijs corporibus combustis, quæ sic in statum inflammabilem restituuntur. Sic hydrogenium ex aqua, metalla omnia ex suis oxidis, phosphorus et sulphur ex suis acidis, mediantibus carbonibus separantur, simulac ex suis partibus componitur acidum carbonicum.

Sed

Sed cum his observationibus primo intuitu non quadrare videntur phænomena in inferiore caloris temperatura explorata; in hac enim nul-lum corpus ustum, carbonii ope ad inflammabilitatem reduci potuit; neque defunt phænomena, quæ sic prorsus contrarium ordinem attractionis oxygenii obtinere indigitant. Sic accensis corporibus vegetabilibus, inflammari primum videtur hydrogenium, quo cum alijs partibus volatili-bus consumto, ultimo omnium adversus ignis vim resistere deprehenditur carbonium. Similiter corpora organica plurima vicissitudinibus aëris exposita, carbonium sere solum inter partes inflammabiles intactum servant, cum ceteræ omnes pedentim perdantur.

Itaque quia phænomena decompositionis acidi carbonici non facile ex simplicibus attractionibus electivis inter oxygenium et corpora inflamma-bilia explicari posse putarentur, eadem rectius per duplices attractiones chemicas interpretari conati sunt, qui in vehementiore ignis gradu, non caloricum solum considerandum venire, sed luminis quoque causam tri-buendam esse materiæ peculiari subtilissimæ a calore diversæ, quæ vi-res in alia corpora exercere valet. Phænomenon lucis, quod sepiissi-mè observatur, ubi corpus inflammabile ardendo inflammabilitatem perdit, ortum suum habere existimaverunt ex subtili illa materia, quæ propterea partem efficiat et carbonii et corporum omnium inflammabilium, adeoque cum ipso *phlogisto Stahlii* analoga sit. Secundum horum sententiam corpus ustum per aliud corpus inflammabile reducitur, ubi materia luminis ex hoc ad illud transit, simulac oxygenium vicissim ex illo ad hoc per duplarem attractionem migrat.

Probabile quoque est combustionem carbonii interdum etiam sine lu-mine, per alias vires accelerari: notum enim habemus inflammabilitatem carbonii per admixtum hydrogenium multum augeri. Ex duplicitibus vel multiplicibus, simul agentibus viribus attractionum explicanda esse phæ-nomena in §:pho præcedenti adducta, quibus acidum carbonicum etiam in minori caloris temperatura destrui videtur, satis omnibus est perspe-ctum; idem quoque valet de acido nostro per fermentationes vinosas et acidas producto, ubi secum invicem implicitæ sunt plures corporum or-ganicorum partes. Neque prorsus a veritatis specie alienam existimamus esse opinionem eorum, qui absque hydrogenio nunquam generari posse acidum carbonicum autumaverunt, a quibus parum differre videntur, qui et acidum carbonicum et omnia fluida elastica sine aqua secum consociata susquam comparere censuerunt.